



SCHEDIASMA HISTORICUM

De

ROSA AUREA

A PAPA R. QVOTANNIS

SOLEMNITER CON-  
SECRETATA,

Quod

Benevolo SUPERIORUM Consensu  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSES

M. ZACHARIAS GRAPIUS,

Rhodopolitano - Mecklenburgicus,

ET

RESPONDENS-AUCTOR

FRIDERIC. TRACHHOLZIUS,

Cotbusio-Lufatus,

*Ad diem IV. April. ANN. M DC. XCVI.*

Placido Eruditorum Examini

H. L. Q. C.

submitunt.

LIPSIÆ,

Literis IMMANUELIS TITHI.



SCHEIDUNG

ROSA

A. P. P. P.

1800

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

d  
r  
m  
ca  
ru  
te  
ill  
no  
ost  
gn  
tro  
den  
pos  
gen  
tas  
ipsi  
Con  
n. 13  
lola  
orn



זכרה לי אלהי לטובה:

PROLUSIO.



Apienter olim de idololatria in genere  
judicavit, insignis quondam ille Ecclesiæ  
Doctor *Tertullianus*, quando in *libr. de  
idololatr. cap. 1. p. 104. Opp. edit. Rigalt.  
Paris. A. 1641.* ait: *Quæ idololatriæ so-  
lemnitas sine ambitione cultus & ornatus?*  
de qua & mox addit: *in illa etiam vanitas, quum tota ejus  
ratio vana; Quæ certe non immerito in specie de Abo-  
minatione illa papali exclamare poterimus. Idololatri-  
cam illam esse, Theologi nostri jam satis, superque probâ-  
runt, & quidem argumentis hæcenus nondum sufficien-  
ter refutatis, nec in æternum refutandis. Inter infinita  
illa Nostratium scripta, vel unicum illud instar omnium,  
nominasse sufficiat, B. nostri *DN. D. MICH. SIRICII  
ostensionem fundament. Abominat: Papat; Supplem: Ma-  
gnif. nostri DN. D. VAL. ALBERTI*, Præceptoris, ac Pa-  
troni nostri, jugiter colendi, edit. Cui quid solidi respon-  
deri queat, non videmus. Nec ipsi id Pontificii diffiteri  
possunt Ipse *Alphonsus à Castro l. 1. adv. Hæc. c. 13. p. 103. in-  
genue fatetur, in Hispania sua varios inventos errores, mul-  
tas superstitiones, varias idololatrias, adeo ut Dæmonem  
ipsum in figura capri se illis ostendentem venerarentur.*  
*Conf. Jac. Usserium de Christian. Eccles. success. & stat. c. 2.  
n. 13. p. 3. edit. in fol. Annal. Britann. annexæ.* Sed quæ ido-  
latriæ hujus foret solemnitas sine ambitione cultus &  
ornatus? Idem hic ipse splendor est, quem ut operculum  
A 2 hujus*

hujus suæ malitiæ, olim apertæ, hodie sub eodem latentis, subtiliores invenerunt. Splendet purpura aula, ornatu superbit cultus, templa auro gemmisque fulgent, ceremoniis nullus externus deest splendor. Testantur id tot splendida lustrationes, initiationes, ac consecrationes, rerum etiam interdum, nescio, quarum? modo barbarum, modo pomorum (festo Jacobi) modo fabarum, modo rerum aliarum, quas tamen omnes nitore antecellunt *maiores* illi ut vocantur benedictionum ritus, variæque illæ in diebus festis præsentationes, de quibus legi possunt *Ordines & Ceremonialia Romana*, quorum quædam exhibet *Jo. Mabillon in Museo suo italico*, aliaque passim. Quo fascino præstrictæ mentes hærent, & stupent ad apparatus & pompam Religionis Pontificiæ, & ignorantia, imo malitiæ suæ, piæ (servilis puto) venerationis purpuram prætexunt. Et certe meliorem modum fascinandi miserrimam hominum mentes Anti-Christus excogitare & invenire non potuit, quam phaleratâ illâ Hierarchiæ suæ pompâ, & superbo traditionum mangonio cœcutientes hominum oculos & mentes præstringere, ut non alibi, quam in hoc vanitatis & mendacii sui regno Ecclesiam reperiri credas, eamque consistere in congestu lapidum, & mitris purpuratorum patrum & infinitorum superstitionum rituum pompa, quibus larvam si subtraxeris, nil nisi mera apparebit superstitio, ut clausula sit: *in illa etiam vanitas, quum tota ejus ratio vana.* Testatur etiam de solemnitate hæc Ritus ille, quo Papa pompa insigni *Rosam auream* quotannis consecrat, & propterea à Pontificiis *inter ritus majores* refertur; quem hac vice historice recensere conamur, ita ut in *Sectione priori* quædam, quæ ad *Nomen* spectant, enucleemus, & *posteriori ritum ipsum* cum suis accidentibus sistamus. *Faxit DEUS FELICITER.*

SECF.

# SECT. PRIOR

Onomatologica.

## CONSPECTUS.

I. Consideratur Vocab. Rosa quoad originem, quam alii latinam, alii graecam esse contendunt.

II. Conjugata sunt: Roseum, Rosaceum, Rosarium, & Rosetum, à quo & Rostochium, Rostock/ quasi Rosen-Stock.

III. Homonym. Rosa (1.) pro planta s. flore Poetarum encomiis claro, Venerique sacro. Cujus varia species; alia fontana, ad quas nonnulli referunt Hierichuntinam; alia in agris, alia in hortis nascentes, quæ itidem diversi generis. (2) Pro Nomine proprio Virginis. (3) analogice pro figura quædam Rosam representante, qualis Rosa Geometrica quam ex Boëtillo describit Holdsworth, in ultimâ significatione sumitur hic.

IV. Synonyma Rosa Ebr. Chald. Syr. Arab. Pers. Turcic. &c.

V. Terminus. Aurea sumitur (1) pro colore, ut Gallina, poma & aqua aurea (2) pro eo, quod ex auro fabrefactum, quæ significatio hic obtinet.

VI. Rosa aurea intra compositionem sumitur (1) pro statu felicitatis Messia tempore, quemadmodum sumit Lutherus in versione Mich. IV, 8. (2) pro quodam artefacto, ut h. l. afferuntur Synonyma.

VII. De Nomine Papa, & quidem ejusdem Orig. significat. derivat. conjugat. Synon.

VIII. De Vocibus: Quotannis solemniter consecrata.

### §. I.



Rima Thematis nostri verba sunt: Rosa aurea quæ quoad nomen primo extra, & deinde intra compositionem more consueto paucis considerare liceat. Sic prius occurrit vox: ROSA, de quâ ratione originis auctores dissentire video, Nonnulli enim latinam esse volunt, deducentes eam à rodo, quamvis repugnet quantitas, Conf. M. Martin, Myli Hort. Philosoph. tit. Rosa n. 1. p. 324.

Alii autem contra ex Græco: ῥόδον esse volunt, quod significat: Rosam, quasi ex ῥέω & ὄδμη, quia ex eâ fluat odor. Conf. Jo. Fun-

geri Etymolog. latin. tit. Ros. p. 953. Christ. Becmann. Origin. lat. tit. Rosa. p. m. 938. Alsted. in Lexic. Græc. quod exhibet in Encyclop. Cursus Philosoph. lib. 21. p. m. 127. & in lexic. latin. ibid. p. 185. vel ex ῥᾶ & ὄζω a. 2. ὄδον, quod odorem facile spiret, annotante adhuc Corn. Schrevelio in Lexic. Manual. græco-lat. tit. ῥόδον p. 691.

§. II.

Inde roseum, quod vel colorem denotat, de quo Jul, Cas. Scaliger in Exercitat. de subtilitat. ad Cardan, Exerc. 325. n. 13. p. m. 996. in quo significatu etiam apud Poetas sæpe occurrit, ut: Roseæ genæ & c. veletiam suavitatem, & blanditiem ut in phrasi: rosea verba loqui & c. Rosaceum, quod ex rosis constat, ut corona rosacea. Conf. Mylium l. c. p. 325. Rosarium, & Rosetum, ein Rosen-Gart / sive Rosen-Stock / unde alium nostrum Rostochium nomen Roseti, & Rhodopoleos gerit, ac Academia Rosarum Academia audit, germanicumque Rosstock / quasi Rosens Stock / à rosis. Conf. B. P. Laurenberg in Agera Philolog. Cent. 2. Histor. 100. & Mich. Anton. Baudrand Parisini Geogr. Tom. 2. p. 178. b. & 179. b.

§. III.

Ratione homonymiæ vocabulum Rose varias passim sustinet significationes. Potissimum hic notamus sequentes: (1) accipitur proprie pro plantâ seu flore quodam ita dicto, qui florum audit princeps, proptereaque Poetarum encomiis claret, quo spectat illud, quod canit Anacreon apud Eliam Shedium de Diis Germ. Syngramm. l. c. 9. p. 141. seq.

Τόδε γὰρ θεῶν ἄημα	Rosa enim Dearum voluptas
Τόδε καὶ βρωτῶν το χάσμα	Hæ hominum odor
Χάσμα τ' ἀγαλμ' ἐν ὄρει	Gratiarum decus
Πολυανθεῶν ἐρώτων	Amoris florente hora
Ἀφροδίτην τ' ἄθυρμα	Suavium amoris
Τόδε καὶ μέλημα μύθοις	Opus, laborq; vatum
Χάσμα φύλον τε μεσῶν.	Et amica planta Musis.

Et Achilles Tatius l. II. de Leucippe & Clitophonte: ἐν τοῖς ἀνθεσὶν ἤθελεν ὁ ζεὺς ἐπιθεῖναι βασιλέα τὸ ῥόδον ἀντ' ἀνθεῶν ἐβασίλευε γῆς ἐστὶ κόσμος, φυτῶν ἀγλαΐσμα ὀφθαλμὸς ἀνθέων, λειμῶν ἐρύθημα, καλὸν ἀσράπιον. ἐρωτῶ πνεῖ, ἀφροδίτην προσεβῆ, εὐειδέσι φύλ-

Φύλλοις κομᾶ ἑυκινήλοις πέλαλοις τρυφᾶ τὸ πέλαλον γῶ ζεφύρω  
γελά. i. e. si floribus vellet Jupiter imponere Regem, rosa inter flo-  
res regnum obtineret. Terræ est ornamentum, plantarum decus, oculus  
florum, prati rubor, pulchritudo coruscans. Amorem spirat, Vene-  
ris est conciliatrix, formosis foliis comata est, nobiles frondibus lu-  
xuriat, calyx Zephyro ridet. Quæm florem una cum Venere natam  
esse fabulantur Poetæ, juxta illud Hesiodi in Theognid.

Ἐκ δ' ἔβη αἰδοίη καλή θεὸς ἀμφὶ τὴν ποίη

Ποσσὶν ὑπὸ ῥαδινοῖσιν ἀνέξατο.

Prodit vero veneranda formosag; Dea, circum vero herba  
Pedibus sub mollibus crescebat.

Hinc & Veneri erat sacra. Conf. Sched. l. c. Natal. Comit. in Mytholog.  
lib. 4. c. 13. p. m. 390. & Claud. Salmasii Exercitat. de Homonymis Hyles  
iatrix Tom. 2. Plinianar. Exercitat. A. 1689 Traj. ad Rhen. edit. an-  
nexas c. 25. p. 25. b. Variæ autem hic iterum solent enumerari spe-  
cies. Aliæ dicuntur fontana, ad fontes nascentes. Ad quas non-  
nulli referunt Rosam illam Hierichuntinam vulgo sic dictam; vel  
etiam Hierosolymitanam, ut secundum alios audit, de quâ commu-  
nis fama, quod in nocte Natalis Christi se pandat, teste Bartholom. Sa-  
ligniaco in descript. terræ S. c. 6. prope fontem nimirum Elisei rosas na-  
sci, quæ in nocte Natalis Christi, quantumvis exsuccæ, sponte sua hiant,  
& sensim expanduntur. Quamvis B. Seb. Wirdig Medicus quondam  
apud Rostochienses insignis, in egregiâ illa Nova Medicina Spirituum  
curiosâ l. 2. c. 4. n. 6. p. m. 44. observet, Rosam Hierichuntinam aquæ  
tepidæ immerfam expandi. Aliæ Rosæ dicuntur in agris ac campis,  
aliæ in hortis nascentes. Interque eas iterum aliæ sunt albæ, quas  
damascenas appellamus: aliæ rubicundæ. In Italia etiam quasdam  
rosas nasci, quæ aureo colore fulgent, sed odore admodum ingrato  
notat Andreas Matthiol. in l. 1. Dioscor. c. 112. p. 148. edit. Venet. 1579.  
Quæ tamen Botanicis & Medicis relinquimus. Plura videbis ap.  
Claud. Salmas. & Matthiol. ll. cc. (II.) sumitur vocabulum Rose pro  
nomine quodam proprio Virginis cujusdam, de qua in Historiâ legi-  
mus, quæque post mortem magnis miraculis claruisse dicitur à  
Pontificiis, vixisse fertur A. C. 1252. vid. Odor. Raynald. in Annal. con-  
tin. Baron. ad hunc annum n. 7. Tom. 13. p. 682. Abrab. Bzovius refert  
eam

eam ad *A. C. 1254. in Annal. Contin. Baron. ad hunc ann. n. 11. Tom. 13. p. 601. (III.)* sumitur quoque interdum *analogice* pro eo, quod aliquali ratione plantam illam, cujus in initio *hujus §. meminimus*, repræsentat. Qualis Rosa est illa *Mathematica*, de quâ scripsit *Carolus Bovillus*, ex quo eam describit *Richard. Holdsworth in prælectionibus lect. 26. p. 222. edit. Londin. 1661. à Pearsonio curatæ*, esse nimirum hanc rosam unius mediæ circuli inter plures alios æquales circulos medium regulariter intersecantes proportionalem circumscriptioem, ita ut singulorum centra sint in mutuis circumferentiis, singulique eadem Semidiametro communicent. Atque ista propter rosam geometricam appellari notat *Holdsworth*, quod ad instar rosæ, ut folium folio, sic circulus circulo intertextatur, donec circulus unus ex multis fiat modo pluribus modo paucioribus. Si 5. circuli sint, fieri rosam pentagonam, si 7. heptagonam; sed ita ut earum omnium Rosa hexagona sit præstantissima, de qua prolixè egit *Holdsworth l. c.* partim eam laudando, partim Theologicè ad legem domini ut Rosam theologicam propositam, applicando. In tali *analogica* significatione etiam sumitur h. l. quia insigne hoc, de quo agimus, plantam rosæ, & ramusculum ejus repræsentat, & quidem *ordinarie*. Sic enim præter morem *Sixtus IV. A. 1478.* transmittens Rosam media quadragesima à se benedictam ad patriam suam *Savonam*, & Rosam appellans munus, quod mittebat, non formam rosæ mittebat, sed *auream plantam quercinam*, aureis instructam glandibus, notante *Theoph. Raynaud. de Ros. Median. in P. v. l. & quidem in Apodosi, Tom. 10. Opp. p. 407. c. 1. & Dominici & Caroli Macrorum, Fratrum Melirensium Hierolexic. seu, Sac. dictionar. Rom. 1677. edit. tit. Dominica Letare p. 229. a.*

#### §. IV.

*Synonymiam* quod attinet, in latinâ linguâ non memini vocabula alia occurrere, quibus exprimat. Inde ex aliis linguis peti debent. Sic Ebraice dicitur שושן à שש *sex*, sic dicta, quod *sex foliis* constet, annotante *Kimchi ap. Buxtorf. in Lexic. Ebr. p. m. 852.* occurrit etiam in feminin. שושנה *Hof. XIV, 6.* Et in plurali שושנים *Psal. XLV, 2.* quod Lutherus vertit. *von den Rosen.* Per quem pluralem numerum duodenarium rosam 12. foliis constantem innui, & non tam ad *Patriarcharum*, quam ad *Apostolorum* numerum respici, posse



posse notat *Bakius in Commentar. ad Psalmos in h. l.* Quamvis alii cum *Rabbini* presentem locum explicent de *instrumento quodam musico*. vid. *Sal. Ben Melech in Michl. Joph. in h. l. p. m. 171. col. 4.* Hinc & aliter vertunt *LXX. Chaldeus, Syrus Æthiops & Persæ ap. Castell. in Lexic. Heptaglot. p. 3664.* Ita & *Chaldæi* exprimunt *Rosam* per *רשן* & *רשנתא*, quod & *Syri* retinent, quamvis æque ut *Ebræi* generali sub *notione*, quemadmodum legitur *Matth. VI, 28.* *רשן* lilia agri. *Arabes* habent *ورن* à *R. ورن* in *II. Conj.* (1) floruit, flores produxit, arbor. (2) roseo colore, s. purpurissò genas suas infecit mulier, inde & : *ورن مضائف* *Rosa multiplex, s. centifolia.* Vid. *Clus. Hist. rarior. plant. l. c. 81. p. 113.* Quam expressionem & apud *Syros* reperio *وردو* *Wardo*, quod itidem *Rosam* significat, convenientiam habens cum *græco*: *ρόδον*. Conf. *Castell. l. c. p. 985. seq.* *Persæ* pro variis *Rosarum* speciebus, varia etiam habent nomina, ut : *ليل* *lil, rosa flava odorata.* (idem est, quod *germanicum* *Vilie*) *ششوي* *Rosa & c.* *Turcæ* *Rosam* vocant *Gul* quasi *venereum florem*. Nam *Gul Arabes* *Venerem* appellare notat *Salmasius l. c. p. 25. b.* *Europæi* magnam partem retinent *latinum Rosa*. Inde *Itali* *Rosa*, *Galli*, *Rose*, *Hispani* *Rosas*, *Germani* *Rosen*, *Boemi* *Ruoze*. & c.

#### §. V.

Sequitur terminus : *aurea*, qui est à *substantivo*: *aurum*, sumitur (1.) pro *colore*. Sic *aureum* dicimus, quod *colorem auri præ se fert*, quemadmodum non impossibile est, dari *vivas gallinas aureas*, uti fat *curiose docet B. DN. L. Gottfried Voigt im neu vermehrten Physicalischen Zeitvertreiber Centur. 3. qu. 55. p. m. 665. seqq.* sit tamen fides penes *expertos*. Ita dicuntur quoque à *colore poma aurea*, seu *aurantia* (uti *extrema effert latinitas*) de quibus *prolixè* disserit *Claud. Salmasius in Plinian. Exercitat. c. 46. Tom. 2. p. 670. seqq.* & *aureas aquas* hoc *significatu* dari *exemplis fluviorum Crathi & Sibiridis* probat *Voigt. l. c. cent. 1. qu. 44. p. 93. allegans illud Ovidii* :

*Electro similes faciunt auroque capillos.*

Ut alia hujusmodi *fileamus*. (2.) Sumitur etiam *vocabulum*: *aurei* pro eo, quod *ex auro fabrefactum*, seu, *cujus materia ex quâ ipsum*

B

aurum

*aurum est, ut: poculum aureum &c. Et in posteriore hoc significatu sumitur hōc locō terminus, quia insignis hujus mystici materia ex qua, aurum solet esse.*

§. VI.

Intra compositionem subjectum nostrum, si spectetur, sumitur *Aurea Rosa* (1) pro *statu felicitatis tempore Messie*, quem ita significat *Megalander noster B. Lutherus* in versione dicti illius *Mich. IV. 8. ואתה מגדל עדר עפל בת ציון עדיך תאתה* und *du Thurn Eder/ eine Beste der Tochter Zion/ es wird deine güldene Rose kommen.* Ubi *Lutherus* vocem עדיך sumsit pro עדי ab ערה *ornavit*, significatque *ornatum ac ornamentum*, perque periphrasin interpretatus est: *Deine güldene Rose.* Quamvis alii sumant vocem: עדיך pro *adverbio* quodam, ut sensus sit: *Ad te veniet.* Vel: *usq; ad te veniet*, quemadmodum ita in *Glossa marginali* additur. Sic explicant *Rabbini R. Jona* apud *R. Sal. Ben Melech* in *Michl. Joph. in b. l. Raschi in b. l.* aliique passim. Ita & pro *parvicula* acceperunt *LXX. interpretes, Syrus, Arabs, versio Germanica Judaica*, aliæque plures, quam quoque retinuit *B. Jo. Schmidius* in *Comment. in Prophetas minores in b. l. p. 857.* (2.) sumitur etiam *Rosa aurea* pro *opere* quodam arte facto, ut hōc locō, ubi accipitur pro *insigni* quodam *mystico Pontificio, certa solemnitate inaugurato.* Dicitur aliàs quoque *Rosa benedicta, Rosa initiata, item flos aureus.* *Theophylus Raynaudus* peculiarem de ea scribens tractatum *mysticum*, vocavit eandem *Rosam Medianam* à tempore seu *Dominicâ*, quâ consecratur; sed notatur propterea à *Fratribus Macris* in *Hierolex. l. c. p. 229. b.* quod perperam sic statuerit, cum *Dominica Mediana* non sit *Letare*, quas duas *Dominicas* ab ipso confusas esse *Macri l. e. tit. Domin. Mediana* docent, de quibus plura infra suo locō.

§. VII.

Sequitur in inscriptione nostra nomen: *Papa Romanus.* *Papa* titulus olim fuit *Patriarcharum & Episcoporum*, quem *Hieroclam*, sive, ut ab *Evtychio* in *Origin. Alexandr. p. 33. edit. Londin. 1642.* appellatur, *Heraclam Patriarcham Alexandrinum* primum usurpasse tradit *Chronicon Orient. ab Abrahamo Ecchellensi versum & edit. Paris. 1651. p. 115. & idem Evtychius p. 34. ac exinde eundem*  
titu-

titulum ceteris *Alexandrinis Praesulibus* tributum docet Jo. Seldenus ad eundem *Eutychium* p. 139. Conf. Jac. Goar ad *Theophanem* p. 578. & *Leonem Allatum* de consensione utriusq; *Ecclesiae* l. 1. c. 18. p. 262. seqq. Nec tamen *Alexandrino* tantum *Patriarchae* proprium fuisse titulum; sed & *Cyprano* & *Hierosolymitano* ab *Avito Viennensi* ep. 7. & 33. tribui notat. *Carol. Du Fresne Dominus du Cange* in *Glossar. ad Scriptor. med.* & *in sim. latin. voc. Papa* Tom. 3. p. 129. Postea autem *antonomastice* ita vocari voluit *Summus Romanus Episcopus*. Sic enim per ambitionem id sibi arrogavit *Gregor. VII.* in *Concilio Romano* de A. 1073. quod in *Bibliotheca Vaticana* MS. conservari dicitur, Conf: *Eratres Macros* in *Hierolex. Voc. Pap.* p. 440. Estque *Papa* vivocis idem ac *Pater*, quod prolixè probat B. noster *Dn. Scherzer* in *Anti-Bellarmin.* disp. 1. p. 2. seqq. & quidem notans ex *Græca* lingua, quod *πάππς* sit pro *Siculorum* *πάς* i. e. *πάσις* & per *anadiplasiasmum*, *πάππας*, apud *Syracusanos*. Et apud *Latinos* vocem hanc transire in significationem *Patris* deducit ex eo, quod *Pappus* idem sit ac *avus* in illo *Ausonii*:

- - - - - *Pappos aviasq; trementes*  
*Anteferunt Patribus serinova cura nepotes.*

Conf. & Jo. Selden. ad *Eutych.* *Origin. Alexandrin.* p. 142. Apud *Turcas* etiam vocem *Papa* idem significare B. Scherzerus l. c. p. 3. probat ex eo, quando dicunt: *Papamos*, i. e. *Pater noster*. *Papam* idem quoque posse esse ac *directorem* seu *custodem* prisco idiomate apud *Italos*, sive aliunde obrepserit seu ab *Oscis* manaret, nec ineptam rationem denominandi *Romanum Pontificem* *Papam* erui posse ex *Polluce*, apud quem *Pappus* idem est, quod *precipuus* inter *servos* notat *Theophyl. Raynaud.* in *Onomast. Pontif.* quod exhibet in tract. de *Corona Aurea super mithram Rom. Pontif. voc. Papa* Tom. 10. opp. p. 80. infra tamen p. 82. priorem notionem nempe *patris*, magis germanam esse docet. Unde autem sit vox *Papæ* disquirunt inter *Eruditos*. Nonnulli voluerunt, esse ab interjectione illa *Papa!* Ita *Bertachinus* in *Repertorio* voc. *Papa*: *Papa* dicitur à *papa*, quæ est dictio admirativa, quasi *admirabilis in terris*, cum *Dei vices* gerat. Conf. *Gabriel. lect. 23.* in *Can. lit. G. Ambros. Novid. l. 2. Fastor. Hieron. Vida Hymno de Cathedra S. Petri. Nicol. Eymeric.*

de potest. Pap. qu. 2. & 3. multosq; alios adducens F. Juniperus à Drepano Diss. 1. pro Juris Pontif. defens. q. 1. c. 4. n. 11. in quam notationem videtur quoque inclinare Duardus l. 1. in Bullam Coenae c. 4. q. 7. ap. Rayn. l. c. p. 81. Participium quoddam ex voce Papæ perlusum faciebat Abbas quidam, quærens: Cujus partis quia orationis esset Papa? respondens: participit partis, partem capit à Clero, partem à Seculari, partem ab utroque cum totius orbis doloris significatione sine modis & temporibus. Vid. Den Biene's Korb des H. Röm. Imenschwarms Jesuwalt Pichhart (quem Alsted. in Encyclop. System. Ethic. prim. c. 23. quest. 2. p. 1728. vocat. Marnixium) part. 6. c. 4. p. 224. a. Alii voluerunt esse à pappo carduorum flore in lanuginem abeunte, nec diu durante. Vid. Corras. lib. 5. miscel. cap. 5. Alii putant, nomen esse complexum ex duplici pa, quod monosyllabum in Saliari carmine usurpatum pro Patre, Festo Auctore. Qua ratione Papa idem sonaret ac Pater Patrum. conf. Bernardin. Gomefium l. 5. de Sale n. 40. B. D. Scherzerus l. c. p. 4. putat esse ab Ebraico פִּיפִּיור maximamque convenientiam habere cum אֲבִיבִּעַ. A Papa est pappare ap. Laurent. Leodiensem in Episcopis Viridunensib. quod idem esse ac summum Pontificatum obtinere notat du Fresne l. c. p. 130. Ab Ebraeis vocatur אֲפִּיפִּיור Apipior, vel: Pipior, de qua voce prolixè agit Scherz. l. c. p. 5. Alias & Pontifex summus audit, item: Vestra Sanctitas scilicet, nimirum secundum tritum illud: Der Pabst ist der allerheiligste Schalef und allerseeligste Narr. Conf. Præ-cellentiss. DN. M. JO. HENR. FEUSTKINGII Amici à teneris nostris conjunctissimi, jam Fac. Philos. Witteb. Adjuncti Celeberrimi ac Fautoris optimi eruditiss. multaque certè lectionis Schediasm. de Achitophelism. Machiav. §. 8. in not. Plura adhuc nomina, eorumque plaustra invenies apud Raynaud. qui peculiare scripsit Onomasticum Papisticum & exhibetur in tract. cit. Romanus appellatur Papa à loco, ubi residet. Plura de hoc nomine reperies ap. B. Scherzer. Du Fresne, Fratres Macros, Theoph. Raynaud. Jo. Selden. ll. cc. Baron. in martyrol. Jan. 10. & Jo. Corasium miscell. lib. 5. c. 15. Jo. Launojum part. 6. epist. 13. p. 545. seq. edit. Cantabrig. 1689.

§. VIII.

Ultima verba sunt: Quotannis solemniter consecrata, quæ tan-

tantum difficultatis ratione nominis non habent. Notamus propterea duntaxat paucis (1) de voce : *Solemniter*, quod alii scribant *solemniter*. Sed *solemniter* & Etymologiam & veteres probare contendit B. DN. L. Gottfried Voigt in *Latin. Indicibus ind. 4. part. 1.* deducunt nonnulli à *solito* & *annuo*. Hinc *munera solemnia*, i. e. *annua*. Alii aliter. Confer. *Fungeri Etymolog. p. 1107.* Interdum & idem est ac *publicè cum apparatu & pompa*. Et ita hoc l. accipimus (2.) verbum *consecrare* compositum est à *Sacrare*, estque idem ac *Deo dicare* & *Sacrum facere* Conf. *Fabri Lexic. in voce Sacr.* Gillebertus Lunicensis *Episcopus de usu Ecclesiastico ap. du Fresne in Glos-sar. latin. Tom. I. p. 1177.* de hoc verbo ita : *Dedicat Pontifex atrium, templum, altare, tabulam altaris. Dedicare enim est locum Deo offerre, benedicere & sanctificare. Consecrat autem Episcopus utensilia Ecclesie, quæ ferè omnia Sacerdotibus sunt communia, vestimenta videl. Sacerdotalia & pontificalia, altaris velamina, calicem, patinam & corporalia & vasculum Eucharistie, Chrisma, Oleum &c. Ea enim tantum consecrat, quæ à communi usu in cultum divinum separantur.*

## SECTIO POSTERIOR

Pragmatologica.

### CONSPECTUS.

- I. *Causa efficiens consecrationis Pa-pa R. est, cujus Vestitus h. t. describitur.*
- II. *Objectum R. A. est, cujus tres partes recensentur, cum significatione Mystica.*
- III. *De tribus istis partibus in specie.*
- IV. *Notantur ab Excell. DN. REGHENBERG. illi, qui putant, Rosam Hierichuntinam h. t. consecrari.*
- V. *Tempus consecrationis Dominica Latate, cujus varia nomina exhibentur, e. g. Dominica in albis. in s. cereis, Dominica de Rosa. A Rayn.*

*appellatur quoque Mediana, quæ tamen appellatio ab aliis tribuitur Dominica Passionis. Quorum rationes adducuntur. Vocatur & Domin. panis.*

VI. *Ratio, ob quam h. t. consecratio hæc instituitur, inquisita à Paoleto, Casalio &c.*

VII. *Locus, in quo peragitur hic ritus secundum Cerem. R. est camera Papagalli; sed refutatur à Rayn. conciliatione tamen addita, & verusque locus ab eo ponitur Basilica S. Petri, de qua ex Durante & Ciampi-*

- no quadam traduntur. Alias legitur peractus in Basilica S. Crucis.
- VIII. Ceremonia ipsa describitur ex Cartario, Raynaudo, aliisque.
- IX. Rosa consecrata dono mittitur aliis pro quibus Papa orat, quod tamen non semper fit. Suntque vel presentes vel absentes. Circa oblationem certa ceremonia observantur. Exhibetur epistola quadam Pont. ad Regem Scotorum, huc pertinens.
- X. Exhibentur exempla eorum, quibus A. R. à Papa missa, & quidem Imperatorum.
- XI. Regum.
- XII. Ducum.
- XIII. Fœminarum illustrium.
- XIV. Civitatum & Rerum pp. Basilicarum, Virorum primariorum.
- XV. Reverentia, qua excipitur hoc donum ab iis, quibus mittitur, refertur.
- XVI. Finis, in quem hic ritus instituitur, secundum literam, & secun-

dum spiritum à Pontificiis consideratur.

XVII. Effectus A. R. miraculosus à Pontificiis adscribitur.

XVIII. Latitia specimina ritui huic adjuncta: ut ostentatio A. R. gaudium Pontificis & Cardinalium, pulsatio organorum alias h. t. silentium, ludi. Quo etiam refertur coronatio Imperatorum h. t. olim peracta.

XIX. De origine & antiquitate hujus ritus varia Pontificiorum sententia, à quibus tamen ipsis certi quid determinari nequit.

XX. Agitur de cognatis hujus ritus & quidem (1) ratione temporis de adoratione crucis apud Græcos usitata ex Codino. (2) ratione significationis de more spargendi rosas in sepulchris.

XXI. (3.) Ratione solemnitatis de consecratione ensis, pilei, & agni cerei, quæ paucissimis describitur.

XXII. Epilogus.

## §. I.

**C**Ausa efficiens ritus hujus consecrandi Rosam auream, Papa Romanus est, indutus hęc temporis puncto amictu albo, cingulo, stola pluviali & mitra gemmata, quemadmodum describit Ceremoniale Romanum & Carolus Cartarius in luculento Tractatu de Rosa aurea, apud Jo. Ciampinum de sacris Edificiis à Constantino M. extructis Rom. 1693. edit. c. 7. p. 121. a. Cenciis in Ordine Rom. n. 17. quem exhibet Jo. Mabillon in Museo Ital. Tom. 2. p. 176. vocat hanc Pontificis mitram aurifrixiatam, quam hęc die portat.

## §. II.

Objectum, quod consecratur, Rosa ipsa est. Constat autem illa tribus partibus, seu triplici materia, uti refert Jo. Baptista Casali-

*Salus de veteribus Sacris Christianorum ritibus Rom. 1647. edit. c. 80. p. 336. auro, musco & balsamo & quidem rationem hancce dat, quia triplex in Christo substantia: Deitas, corpus & anima. Inque flore ipso, qui visibiliter hic representatur, tria designari dicit: Clari-  
tatem in colore, jucunditatem in odore, satietatem in sapore. Rosa quippe præ ceteris floribus colore delectat, odore recreat, sapore confortat. Delectat visu, recreat olfactu, confortat gustu.*

§. III.

*Aurum plantam aliquam, quam rosam appellamus, repræ-  
sentat, uti jam supra in priori sect. innuimus, & magni interdum æ-  
stimatur pretii. Horatius Turselinus apud Theoph. Raynaud. in  
Traët. de Rosa Mediana in prolusione, Tom. 10. Opp. p. 408. describens  
pietatem Gregorii XIII. erga virginem Lauretanam, ad quam trans-  
misit Rosam auream ita eam rosam depingit stylo: Ea stirps est, seu  
planta rosarum vernantium, ex auro, quæ aureo inserta vasculo & ex  
tripode eminent aureo sesqui cubitalem altitudinem facile excedit.  
Aureis nummis æstimari fertur circiter mille. Quamvis Raynau-  
dus putet, comprehendi in ea pretii æstimatione, & vasculi quoque  
& tripodis valorem. Ceteroqui enim rosam auream, à Paulo V.  
imagini Deiparæ in facello Burghesiano asservatæ oblatam, quæ nunc  
in prædivite ejusdem facelli Gazo-phylacio monstretur, quingentis  
duntaxat aureis æstimari, ut refert Paulus de Angelis in Monumentis  
Basilicæ Liberianæ. Species adhuc minoris pretii recenset Raynaudus  
l. c. Balsamum & muscum non adeo specificè descripta reperimus,  
proinde nec specialia de iisdem recensere possumus. Hoc tamen  
facile conjicere licet, optimas omnino species esse, cum quod ad or-  
natum & splendorem spectat, nulli in curia Romana omittantur sum-  
tus. Ordo Romanus jussu Gregor. X. editus & exhib. à Mabillon in  
Museo Ital. Tom. 2. n. 10. p. 236. rosam hanc ita describit, ut miro ope-  
re operatam, in qua intus sint muscus & balsamum.*

§. IV.

*Et hæc est illa rosa consecrationis hujus papalis objectum.  
Hincque VIR Maxime Rev. ac Excellentiss. DN. Prof. RECHEN-  
BERG. Patronus ac Præceptor noster nunquam sine insigni nominis  
veneratione à nobis citandus, in elegantissimâ dissertatione de aurea  
hac*

*hac Rosa A. 1666. heic Lipsia habita fol. 2. §. 6. merito notat Maximilianum Sandeum in flor. Myst. p. 82. Corneliumq; ab illo citatum Ser. 19. hallucinatos, putantes, Pontificem rosam Hierichuntinam, 150. folia habentem, omni anno Dominica Latere consecrare, cum tamen de hoc nec Ceremoniale Romanum, nec probatus Historicus quicquam præter ipsum habeat.*

§. V.

*Tempus ritus hujus est duntaxat Quadragesima Dominica IV, vulgò Dominica Latere, sic appellata ab introitu Missæ, qui ab hac incipit voce. Et habebat hæc Dominica majorem præ aliis solemnitatem. Hæc siquidem die apud Floriacenses erat conventus in albis, inde & vocabatur illa Dominica Festum in albis in quinque cereis. Conf. Edmund. Martene de Antiquis Monachorum ritibus Lugduni 1690. edit. Tom. I. lib. 3. c. u. §. 24. p. 354. ob hunc ritum, de quo agimus, dicitur quoque Dominica de Rosa der Rosensontag Belgice: de Dach van de Roos. conf. Christoph. Marcelum, qui Auctor dicitur operis de sacris Ceremoniis l. 2. c. 37. & Jacobum Archi-Episcopum Genuensem Serm. in Dom. IV. Quadr. Excellentissimum DN. RECHENB. l. c. fol. 3. §. 2. & Rodolph. Hospinian. de Festis Christian. p. 66. a. quanquam, observante Theoph. Raynaudo de Rosa Mediana c. 1. Tom. 10. opp. p. 409. a. circa hanc vocem cavenda aliqua æquivocatio. Nam apud veteres Romanos Dominicam Rose non fuisse hanc, de qua agimus, à rose initiatione denominatam; sed fuisse Dominicam infra octavam ascensionis, quâ die statio habebatur ad S. Mariam, ad Martyres, vulgò Rotundam, & Pontifice ibi super sacrum concionante de futuro adventu Spiritus S. & de altitudine templi mittebantur rosæ in similitudinem ejusdem Spiritus S. eâ tamen statione per pontificum longam in Galliis moram exolescente, desisse eam Dominicam appellari Dominicam Rose, & apud aliquos Dominica IV. Quadragesima eam denominationem incepisse non jam à rosarum jactu; sed à rose initiatione per Pontificem. In Ordine Romano videtur Raynaudo Dominica hæc vocari Mediana, quando dicitur: igitur à Dominica, quam sedes Apostolica Medianam voluit nuncupari &c. ubi tò Dominica idem ac post Dominicam esse vult. Unde & rosam hanc auream Medianam vocare ipsi*



ipſi placuit. Quamvis apud *Edmund, Martene de Antiquis Mena-*  
*nach. Rit. l. c. p. 355. & Mabillon in not. ad Ord. Rom. l. p. 18. Tom. 2.*  
*Mus. It. legam, à veteribus ita vocatam fuiſſe Dominicam in paſſio-*  
*ne Domini. Prævenit tamen jam Raynaudus huic dubio, obser-*  
*vans, Dominicam paſſionis non poſſe propriè ac verè denominari*  
*Medianam, reſpectu totius Quadrageſimæ, ſicut hæc Dominica IV.*  
*Letare ſcilicet denominari queat, quæ etiam eſt ea, quam juxta ejus*  
*ſententiam Pelagius Papa ſcribens ad Laurentium Centumcellenſem*  
*Episcopum vocat Dominicam medianam Paſchæ, ſumto Paſchæ no-*  
*mine pro Quadrageſima juxta modum loquendi multorum vete-*  
*rum, nomine Paſchæ intelligentium Quadrageſimam, quia Qua-*  
*drageſima ex S. Chryſoſt. Homil. de jejun. prim. Paſch. nihil aliud;*  
*quam paraſceve Paſchæ, quæ prolixius adhuc probat Raynaudus ex*  
*Concilio Toletano IV. & VIII. Auguſtino aliisque, in quibus Paſchæ*  
*ſumatur pro Quadrageſima, ut omnes hebdomades Quadrageſimæ*  
*uſque ad paſchalem incluſivè, quæ eſt omnium ultima, dicantur*  
*paſchales, contra Quadrageſima pro Paſchate. Quæ ratio-*  
*nes tamen Raynaudi Fratres Macros in Hierolexico tit. Dominica*  
*Mediana p. 229. b. movere non potuerunt, ut crediderint, Domini-*  
*cam Letare ita vocatam fuiſſe, cum ex Gloſſa Juris Canonici aliisque*  
*documentis probent, Dominicam paſſionis Medianam vocari. In-*  
*ter alia ex Ordine Romano referentes, quod lectiones Jeremie diſpo-*  
*nantur in Dominica Mediana, quæ reperiuntur in Dominica paſſio-*  
*nis in primo nocturno. Vocari autem Dominicam paſſionis media-*  
*nam juxta nonnullos, quia in ejuſdem lectionibus fit mentio Lune*  
*quarta decima & quinta decima, quæ ſunt lunariæ periodi medietates.*  
*Hincque Raynaudum absq; fundamento ſua protuliſſe judi-*  
*cant. Niſi forte utraq; Dominica prædicato hoc gaviſa fuerit, quod*  
*interdum accidit, & ita Raynaudus cum Fratribus Macris concilia-*  
*ri poſſet. Quæ tamen Pontificiis expedienda relinquimus. Quo-*  
*modo & adhuc Dominica hæc Letare ab Evangelio de quinq; illis pa-*  
*nibus vocata fuerit Dominica panis, ex Jac. de Voragine ſerm. I. ob-*  
*ſervant Excell. DN. L. RECHENB. l. c. ac Hoſpinian. l. c. & ex Chri-*  
*ſtoph. Marcell. Raynaudus l. c. addit denominationem hancce eſſe*  
*quoque Dominicæ reſurrectionis ob ſolemnam eo die fidelium com-*  
*munionem, citans ſermonem quendam, qui extat inter ſermones S.*  
CChryſ.

Chryf. nempe serm. V. de resur. conf. & Fratres Macros l. c.  
p. 228. b. §. VI.

Ratio verò ob quam potissimum hòc anni tempore hæc  
aureæ rosæ consecratio instituat, inquisita à Paoletto sar. et. serm. XI.  
apud Excell. DN. REGHENB. l. c. §. 3. apud quem Paoletus ita: *eupi-*  
*du* *semper* *fui* *hujusce* *ceremonia* *cognoscendi* *significatum.* Neq;  
autem merito videri nonnemini posset, convenientius Pontificem factu-  
rum esse, si in præfata Dominica ad imitationem Christi panem, non  
verò rosam benediceret & multiplicaret. Lyranus rosam hanc hoc  
tempore eum in sinem à Papa benedici respondit: Ut solius Domini  
ostenderet plenitudinem potestatis, qui de lapidibus panes & de pani-  
bus rosas donare nobis potest. Unde constat, panem in ro-  
sas permutare rem adeò impossibilem, ut solus DEUS eam possibi-  
lem reddere possit, ut solius DEI ostenderet plenitudinem potestatis,  
ac proinde id ipsum præstitit Nicolaus, quando hyberno tempore panis  
fragmentum eleemosynæ locò pauperibus deferens in rosas transfor-  
mavit. Jo. Bapt. Casalius de veter. Sacr. Christ. rit. l. c. florem hunc  
dicit à Pontifice representari solum in hac Dominica Latare, quæ  
septima est ab illa, quæ septuagesima vocatur, quia Christus in septi-  
ma tantum ætate videbitur ab illis, qui beatâ requie consolantur: in  
sexta namq; cernitur Christus per fidem. In septima cernitur per spe-  
ciem, uti ex Innocentii Papæ III. serm. I. in Domin. Latare pluribus  
docet. conf. Henric. Spondan. ad A. C. 1444. n. 20. Tom. 1. Continuat.  
Baron. pag. 910. b. edit. Lugdun. 1678: Alii alias de hac Dominica ha-  
bent meditationes. Videntur tamen omnes in hoc generali consen-  
tire, quod institutio hujus ritus hoc tempore propositam habuerit  
excitationem lætitiæ, quod tempus Latare innuit. Conf. Gulielm.  
Durandi Rationale divin. offic. lib. 6. c. 53. p. 315. b. edit. Antverp. 1570.  
& Cardinalem Reginaldum Polum in Exegesi de ense, pileo & Rosa,  
Pontificiis muneribus ad Serenissimos Regem & Reginam Angliæ (qui,  
cum hæc munera sacra à Pontifice accepissent, Cardinalem hunc con-  
sulerant, quid sibi eadem vellent?) quam hæcenus ineditam bene-  
ficio Casiani à Putreo acceptam exhibet Theoph. Raynaudus in  
Tract. de Pontificiæ gladii & pilei initiatione sect. I. §. I. Tom. 10. Opp.  
p. 532. b. §. VII.

Locus, in quo hic ritus peragitur, secundum ceremoniarum

rum

rum codicem libr. 7. c. 5. est conclave, sive Camera Papagalli.  
Sed notat Raynaudus de Rosa Mediana c. 1. p. 409. ex literis Eugenii  
IV. ad Regem Anglorum, consecrationem Rosæ peragi solitam in  
Basilica S. Petri, non in conclavi, nisi per S. Petri sacram ædem in-  
telligatur adjunctum palatium Pontificium, in quo est conclave præ-  
dictum, vel pro varietate temporis alia quædam varietas fuerit. Jo.  
Steph. Durantus de ritibus Eccles. Cathol. Lugdun. 1675. edit. lib. 1. c. 28.  
4. p. 10. meminit Basilica hujus S. Petri, ab Anacleto Presbytero &  
postea Papa III. à Petro, in monte Vaticano, parvæ Ecclesiæ forma  
sub ipsa B. Petri morte in ejus honorem Damaso Autore ædificatæ  
(si fabulæ credendum) hancque vetustissimam S. Petri memoriam, ut  
eam Damasus vocat, destruxisse fertur Heliogabalus, quem Lampridius  
sepulchra vaticana, quo liberius elephantorum quatuor quadri-  
gas agitaret, vastasse scribit. Hanc vaticanam Ecclesiam Constan-  
tinum postea restituisse & amplificasse scribit Durantus l. c. ex ex De-  
metrio Archi-Episcopo Bulgaria lib. 3. juris orient. notat, inclytum  
& summum Romæ obtinere locum, Græcosque in eam ingredienti-  
tam Ecclesiastici ordinis, quàm Laicos vota facere DEO & Sanctis,  
qui in ea coluntur, debitam venerationem & honorem exhibere.  
Quibus Jo. Ciampinus in Synops. Hist. de sacris ædificiis à Constantino  
M. constructis c. IV. p. 30. a. addit, quod Constantinus prius quàm ma-  
nus tanto admoveret operi, in vaticanum collem se contulerit, im-  
perialique deposito diademate, pronus in terram ac illacrimans ad  
Basilicæ inchoanda fundamenta ligone assumpto, prior ipse solum ef-  
fodere sit aggressus. Tum duodecim corbes egesta jam humo op-  
pleverit, suppositisque Augustis humeris asportaverit. Vocatur hæc  
Basilica etiam absolutè Vaticana à monte, seu potius stricte ut Ciampinus  
l. c. p. 27. a. notat, à planitie illa, quæ inter montem vaticanum  
Tiberimq; interjacet. Prolixius Basilicam hanc figuris æneis maxi-  
mè splendidis additis descripsit Jo. Ciampinus l. c. Conf. Canonicum  
Romanum, sive Petrum Mallium in sua descriptione Vaticane Basi-  
lica. Et in hac Basilica ceremonia hæc peragitur, juxta Raynaud.  
Quamvis aliàs legamus peractam fuisse in Basilica Crucis in Hieru-  
salem tq. coelestis Hierusalem figura juxta Cartarium in Tr. de aurea  
Rosa & Ciampinum l. c. c. 7. p. 220. Fratres Macros in Hierolexica  
cit.

tit. *Domin. Lat. p. 229. a. & Hospinian. l. c.* quæ itidem à *Constantino M.* extracta fertur, & ab ejusdem Matre *Heleniana* quoque vocatur, quia *Helena* scilicet sanctissimæ crucis repertæ & ab ipsa tripartito divisæ, unam partem cum titulo ejusdem crucis argenteis thecis inclusam in hanc Romanam miserit urbem atque in hac *Sessoriana Basilica* (quemadmodum etiam vocatur) collocari imperaverit, quemadmodum fabulam hanc ex *Xysti III. Pontificis actis* recenset *Ciampinus l. c. p. 118. b.* Plane extraordinarie *Alexander III. Venetiis A. 1177.* celebravit hanc ceremoniam in *Ecclesia S. Marci*, uti ex *Petri Blesensis serm. 15. & Baronio ad hunc annum notant Fratres Macri in Hierolexico l. c. p. 229. a.*

### §. VIII.

*Ritum consecrationis ipsam quod concernit, descripsit eum Carolus Cartarius Advocatorum Consistorialium Decanus in tr. de Rosa aurea, quam se desumpsisse fatetur ex MS. Lonigi, ex quo Ciampinus de sacris edific. c. 7. p. 120. seq. sequentia communicat: Quarta solis die in Quadragesima, quæ dicebatur latare, ex eo, quia ea luce Missa incipit per hæc verba: Latare Hierusalem, erat statio in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem & Camerarius, quem hodiè Camerlingum Ecclesie vocitamus, cardinalitia dignitate insignitus, presentabat Pontifici in Camera Rosam auream balsamo inunctam, muscoq; affusam. Hæc Camera locus erat in Palatio Apostolico, quo Camerarius, Clericiq; Camera conveniebant sua munera acturi. Sum. Pontifex accepta Rosa pretioso indutus Pluviali, mitraq; gemmata capiti imposita solemniter cum omnibus Curie Ordinibus ad Basilicam S. crucis equitabat, ad quam perventus Missam celebrare solitus erat, predicans Evangelium, Rosam manu gestans populo ostendebat. Sacris peractis Camauro Pontificio iterum capite aptato pariter equitabat, Rosam auream manu excipiens usq; ad Lateranense palatium, ubi Præfectus Urbis aderat, præstolans, ut Pape ex equo descendenti inferdret, in cujus obsequii gratificationem Pontifex Rosam auream illi impertiebatur, qui de osculato Sanctissimo pede discedebat. Hactenus Cartarius. Addimus ex Ceremoniali Romano p. 32. formulam benedictionis, quæ Pontifex utitur. Sic enim ad Altare, super quo duo sunt candelabra deposita mitra dicit: Adjutorium no-*  
*Arum*

*strum in Domini nomine. R. Qui fecit Caelum & terram. vers. Domi-  
nus vobiscum. Resp. Et cum Spiritu tuo. Pergit Pontifex: Oremus:  
Prudentie DEUS, cujus verbo & potentia facta sunt omnia & cu-  
jus nutu universa diriguntur, qui es letitia & gaudium omnium fi-  
delium, majestatem tuam supplices exoramus, ut hanc rosam odore, vi-  
sug, gratisimam, quam hodierna die in signum spiritualis letitie in  
manibus gestamus, benedi†cere (facta crucis| forma) & sanctifi†care  
(iterum cruce in aere diducta) tua pietate digneris ut plebs tibi di-  
cata ex jugo Babilonica captivitatis educta per unigeniti filii tui gra-  
tiam, qui est gloria & exultatio plebis Israel, illius Hierusalem, qua  
sursum est mater nostra sinceris cordibus gaudium representet. Et  
quia ad honorem nominis tui Ecclesia tua hoc signo hodie exultat &  
gaudet. Tui Domine verum & perfectum gaudium largiaris & devo-  
tionem ejus accipiens, peccata dimittas, fide repleas, indulgentia fove-  
as, misericordia protegas, adversa destruas, prospera cuncta conce-  
das: Gloria per fructum boni Operis, in odorem unguentorum illius  
floris transeat, qui de Radice Jesse productus, flos campi & lili-  
um con-  
vallium mysticè predicatur: Cum quo in supernâ gloria cum sanctis o-  
mnibus sine fine letetur, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiri-  
tus S. DEUS per omnia Secula Seculorum. Amen. Distinctius ipsum  
consecrationis actum ex Ceremoniarum codice describit Raynaudus l.  
c. p. 409. ita: initiat autem ante divinæ liturgiæ sacrum mysterium col-  
locata Rosa super arulam ad id comparatam, fundendo primum su-  
per eam conceptas preces (quæ procul dubio erunt, quas modo re-  
censuimus) tum rosam balsamo inungendo, ac musco trito per-  
fundendo: itemque lustrali aqua aspergendo ac thure sufficendo,  
quod ex thuribulo adoletur. Rosam ad eum modum initiatam Pon-  
tifex ad celebrandum sacrum continenter progrediens manu gestat,  
& delectis ministris, cum ad facellum devenitur, committit repo-  
nendam in altari per tempus sacri. Quo expleto ante altare oratio-  
nem aliquandiu fundens, rosam denuo recipit, gestatque manu pro-  
cedens ad S. crucem in Hierusalem, ubi rosam fidelibus adunatis o-  
stentat, quod ab Autore operis de sacris Ceremoniis prætermis-  
sum. Raynaudus supplet ex Innocentii III. tractatione ad populum, cum  
in eo sacro templo rosam exhiberet. Fortassis quod juxta Raynau-  
dum ea Rosæ ad dictam ædem sacram gestatio & ostentatio ad sub-*

stantiam consecrationis Rosæ non spectaverit : & quod aliquando Pontifex aliis dissentus curis ad eam Ecclesiam non procederet, ibique rosam non semper ostentaret, prætermittenda Auctori prædicto visa est. Conf. *Guilielm. Durand. in Rationali l. c. Claud. Arnaud. in Thes. Sacr. rit. Epit. part. 4. tit. 19. de rubr. bened. p. 270. apud Excellentissimum RECHENB. l. c. fol. 2. §. II. Baron. ad A. C. 1177. n. 18. Tom. 12. Annal. p. 704. seq. Edit. Colon. Hierolexicon Fratrum Macrorum l. c. Benedictus Cencius, Ceremoniale Romanum edit. jussu Gregor. X. & Amelius in Ordinibus Romanis, exhibitis à Mabillon in Museo Italico Tom. 2. p. 135. 176. 236. & 271. Carol. du Fresne D. du Cange (unde & Cangius) in Glossario ad Scriptores med. & inf. latin. Tom. 3. tit. Ros. aur. p. 628. Rodolph. Hospinian. de Test. Christ. p. 66. a. & b.*

§. IX.

Rosam ita consecratam Pontifex donare solet, postquam in benedictione pro iis Regibus ac Principibus ad quos missurus est hoc donum, precatus est, ut à DEO gratiam per Christum consequantur, officio suo rectè fungendi annotante Cardinali Reginaldo Polo in Exegesi de ense, pileo & rosa, Pontificiis muneribus ad Regem & Reginam Angliæ exhib. à Raynaudo in tr. de Pontificia gladii & pilei initiatione sect. I. §. 1. Tom. 10. Opp. p. 531. Hoc tamen non semper fieri patet ex ejusdem Raynaudi Tr. de Rosa mediana c. 1. §. regrediens p. 409. ubi refert, regredientem domum Pontificem rosam gestare ipsum & in conclave interius se recipientem exquirere Cardinalium fensa de eo, cui primum hoc munus tradendum videatur, nisi ante sacrum jam adhibuerit Cardinales ea de re in consultationem. Sunt autem illi, quibus donatur vel præsentis vel etiam interdum absentes. Si is, cui rosa destinatur præsens est Romæ, ex usu fuit, illum advocari in conclave, rosamque de ipsius pontificis manu accipere, interposita solemnè appreciatione per verba concepta, Præter morem verò receptum fuisse, quod aliquando Rosa consecrata præsentis traderetur in sacri sine ad ipsum altare, observat Auctor operis de sacris Ceremoniis. Et servatur interdum proportio, si plures adsint Magnates: E. G. Urbanus V. dicitur Joannæ Regine Siciliae, Romæ versanti, rosam obtulisse, posthabito Rege Cypri, qui item Romæ præsens aderat. Formulam verborum quandam, quæ Pontifex hic utitur exhibet Hospinian. de Festis Christian. l. c. ita: *Accipe*

cipe Rosam de manibus nostris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam designatur gaudium utriusq; Hierusalem, triumphantis scil. & militantis Ecclesie, per quam omnibus Christi fidelibus manifestatur flos ipse speciosissimus, qui est gaudium & corona sanctorum omnium. Suscipe hanc tu dilectissime Fili, qui secundum Seculum Nobilis, potens ac multa virtute præditus es, ut amplius omni virtute in Christo domino nobiliteris, tanquam rosa plantata super rivus aquarum multarum, quam gratiam ex sua uberanti clementiâ tibi concedere dignetur, qui est trinus & unus in secula seculorum. Amen. Si autem is, cui hoc munus destinatum est, non adsit, prætermisso deductionis solemnis apparatu, transmittitur ad eum rosa initiata, cui & interdum pretiosa adjunguntur vehicula, (uti jam supra §. 3. indicavimus ex *Turfell.*) addito epistolico diplomate, rosæ mysteria pandente, cujus exemplar quoddam, nempe *Innocentii VIII. ad Regem Scotorum* ex *Odor. Raynaldi Tom. 19. ad A. C. 1486. n. 49.* hic communicamus.

### *Regi Scotorum.*

Suscipe, charissime Fili, rosam hanc letissimo corde monumentum & pignus nostræ in te paternæ benevolentie, in qua non muneris aestimanda est quantitas; sed altioris significationis qualitas interpretanda, nec te auri fulgor, sed contemplatio divinæ significationis teneat. Sancta enim Ecclesia hoc donum per manus summi Pontificis ordinavit, ad declarandam letitiam & gaudium ex humani generis liberatione susceptum. Rosa enim ipsa corpori gloriosissimo Jesu Christi, qui nos pretioso sanguine suo redemit comparata est, flos enim ille omnium est florum & aspectu jucundior, & odoris suavitate fragrantior. Penetret igitur in tuos sensus divinus odor, ut eo repletus generositatem animi tui, & catholicam mentem in dies magis explices & augeas, deq; ipsa Rep. Christiana sanctaq; Apostolica sede benè mereri studeas. Dat. Romæ apud S. Petrum d. 12. Martii MCDLXXXVI. Pontificatus nostri anno II.

Qualia diplomata adhuc plura *Raynaldus* in *Annalib. Ecclesiast.* passim exhibet, quale quoque extat *Alexandri III. ad Regem Francorum* representatum à *Joanne Piccardo*, *To. 4. Hist. Francor. p. 768.* &

Ra-

Radulf de Diceto a. 1163. ap. Carol. du Fresne in Glossar. Latin.  
pag. 629.

§. X.

*Cartarium* in suo de *aurea Rosa* tr. omnia exempla cum-  
mulasse donationum ad *Imperatores, Reges, & aliosq; proceres, & Ma-*  
*gnates*, quandoque etiam ad insignes *Ecclesias*, notat *Ciampinus in*  
*tr. de Sac. edif. à Constantino M. extructis. c. 7. p. 121. a.* cum autem  
*Cartarium* inspicere non licuerit, exhibebimus ea exempla, quæ ex  
propria collectione suppetunt. Eminent autem inter hos, quibus  
mysticum hoc donum mittitur, *Imperatores*. Sic *Eugenius* Papa IV.  
*Imperatorem Sigismundum*, ut *Catholicæ fidei Romanæque Eccle-*  
*sia Propugnatores* munere hoc donavit, missa ad eundem epistola,  
in qua virtutes *Imperatoris* hujus summis evehit laudibus, quam epi-  
stolam exhibet *Odor. Raynaldus l. c. ad A. C. 1436. n. 20.* In *Historia*  
*Nicolai V.* memoratur, missam esse ab eodem auream Rosam *Impe-*  
*ratori Federico*, ex quo exemplo juxta *Theoph. Raynaud. l. c.* evicit  
*Cardinalis Senensis* ut *Alexander VI.* Rosam transmitteret *Impera-*  
*tori*, cum aliqui negarent, usum id ferre.

§. XI.

Sic & *Regibus* donatio hæc obtingit, quemadmodum jam  
meminimus, *Alexandrum III. Regi Francorum* (nempe *Ludovico VII.*  
ut ex *historia Veceliazensi l. 4. p. 582.* notat *du Fresne in Glossar. l. c.*  
*p. 629.*) auream Rosam misisse. Sic idem *Alexander. III.* ad *Regem*  
*Scotorum Guilielmum* eandem transmisit, ut scribit *Hector Boëthus*  
*l. 13. Histor. Scotor. Waldemarum Regem Dania* quadragesimæ tem-  
pore rosam hanc accepisse ex *Alb. Cranzii Histor. Danic.* notat *Odor.*  
*Raynald. in Annal. Tom. 16. ad A. C. 1364. n. 14.* *Regi Francorum à Jo-*  
*anne XXIII. A. 1411.* missam esse docet *Raynaud. l. c.* & eodem secu-  
lo *Regi Angliæ Henrico VI. ab Eugenio IV.* donatam idem *Raynau-*  
*dus* docet. *Conf. Henric. Spondan. Contin. Annal. Baron. ad A. C.*  
*1444. n. 20. Tom. 1. p. 910. b.* adhuc eodem seculo *Papa Calixtus III.*  
*Carolus Francorum Regem* transmissio aureæ rosæ munere excitare  
conatus est, ut militarem virtutem, quæ Gallici nominis hostes pro-  
pulsaverat adhiberet in *Turcas* laborantiq; rei *Christianæ* opitula-  
retur referente *Raynaldo ad A. C. 1457. n. 52. Tom. 18. Annal.* Denuo eo-  
dem



dem seculo, cum *Alfonfus Lusitania Rex* ingentem instruxisset contra Turcas classem, eidem, ut rei Christianæ defensori Papa *Nicolaus V.* rosam auream transmisit per Fratrem *Episcopum Portugallensem Referendarium* suum una cum literis, quas exhibet *Odor. Raynald. Annal. Tom. 18. ad A.C. 1454. num. 7. §. nunc causam.* Regi *Scotorum* misit eam *Innocentius VIII.* cum epistola de mystica, ejusdem significatione agente, *A.C. 1486.* quam supra §. 9. ex *Raynaldo* communicavimus. *Emmanuelem Portugallia & Algarbiorum Regem* donavit hoc munere *Julius II. Papa*, addita Epistola itidem de mystica ejus significatione agente, & ad Turcarum ac Saracenorum nomen delendum excitante, exhibita à *Raynald. Tom. 20. Annal. ad A.C. 1506. n. 12. & Leonem X. A. 1514.* eidem *Emmanueli Portugallia Regi* rosam auream misisse testis est *Raynaldus l.c. ad hunc annum n. 2. Henricum VIII. Angliæ Regem* nondum abscissum ab *Hadriano VI.* munus hoc accepisse, scribit *Theoph. Raynaud. de Rosa mediana l.c. quod & Henrico Valesio Regi Polonia à Gregorio XIII.* obtigisse idem *Raynaudus* observat, ut alios jam taceamus. *Fratres Macri in Hierolex. l. c. p. 229. a.* notant, & *Ludovico Regi Neapolis Clementem Papam VI.* Rosam hanc misisse, allegantes *Odor. Raynald. ad A. C. 1348. n. 11.* sed videntur memoriâ lapsi in allegando loco, cum ibidem apud *Raynald.* ea non habeantur. *Pium II.* honore hoc ornasse *Joannem Aragonum Regem* notatur in *Od. Raynald. in Indice ad Tom 19. Annal. in recensione Actorum Pii II. ad A. C. 1460. n. 114. & in tit. Rosa aurea, quamvis in opere ipso citato loco legere mihi non licuerit.*

## §. XII.

A Regibus progredimur ad Duces: quibus honor hic à Pontificibus fuit exhibitus. Meminit hic *Theoph. Raynaud. l.c.* missam esse *Duci Sabaudia à Leone X. A. 1521.* ab eodem *Leone Federico Saxonie A. 1619.* (forte vitium typographicum est, debet enim esse 1519. conf. *Jo. Sleid. l. 1. p. 15. Lovis Maimbourg Histoire du Lutheranism. Livre 1. p. 43. & B. Seckendorff. in commentar. de Lutheranism. l. 1. Sect. 24. §. 47. n. 1. & 15. p. 61. seqq.* Partem epistolæ, quæ hanc ob causam à Papa ad *Degenhardum Pffeffingerum FridERICI Saxonie Ducis Consiliarium*, qui Rosam Principi à *Miltizio Nobili*

D

Misenen-

Misenensi oblatam offerre debebat, destinata fuit, ex *Luthero* exhibet *Excellentiss. noster RECHENB. l.c. fol. 3. §. 12.* ex qua inter alia patet, finem missionis, à Papa intentum fuisse, gloriosissimæ memoriæ Ducem à *B. Luthero*, quem immanis illa papalis Bestia filium Satanae in illa sua epistola vocat, abducere; sed quo effecto, modò laudatus *DN. RECHENB. l.c. docet?* Plura vid. ap. *B. Seckend. l.c.*) Alteri *Saxoniae Duci* rosam antèius misisse *Sixtum IV. A. 1479.* & antèius quoque alteri *Saxoniae Duci A. 1491.* eam transmisisse *Innocentium VIII.* cuidam item *Duci Gregorium XII. A. 1447.* *Duci Magnopolitano Innocentium VIII. 1487.* *Duci Ferrariae Julium II. A. 1508.* imò verò ejus Legato, qui tamen non nisi sui Ducis nomine Rosam admiserit. Quibus exemplis addimus *Ducem illum Venetiarum*, cui, postquam eam *Alexander III. Venetiis A. 1177.* consecrasset, eandem dedit. *Conf. Baron. ad hunc ann. n. 18. Tom. 12. Ann. al. p. 705. edit. Colon.* Sic *Ludovicus de Campofregiso Genuensem Duci* Rosam auream misit *Nicolaus V.* concepta spe, illum Romanæ Ecclesiæ futurum præsidio, eamque singulari observantia profecuturum, juxta *Odor. Raynald. Tom. 18. Annal. ad A. C. 1450. n. 19.* ubi simul quoque exhibet epistolam Pontificis ad Ducem ejus gratia missam. Sic *Paulus III.* transmisit eam *Duci Mantuae* juxta *Raynald. Annal. Tom. 21. part. I. ad A. C. 1537. n. 4.* *Ducibus* adjunxit *Raynaudus l. c. Marchiones.* Sic missa est *Ferrariensi* ab *Alexandro V. & Francisco Gonzaga Marchioni Mantuano* ab *Alexandro VI. A. 1485.* ac inter sacras reliquias à *Joachimo Marchione Brandenburgico* asservatam esse rosam, quam *Nicolaus Avo* suo transmiserit, notat *Raynald. Tom. 21. part. 2. Annal. ad A. C. 1561. n. 34.* Inter *Comites* adducit *Raynaud. Dalsinum*, cui *Innocentius VII. A. 1485.* rosam auream misit.

### §. XIII.

Non autem *Magnates viros* duntaxat; sed & *Fæminas* Papa honore hoc solet afficere. Refert hùc *Raynaud. l. c. Annam Austriacam Imperatricem*, cui *Clemens VIII.* Rosam auream obtulit. *Elisabetham Reginam Hispania* ea Pontifex *A. 1490.* ornavit. *Regina Hispania A. 1577.* eam dedit *Gregor. XIII.* *Reginae Ungariae*, quæ postea *Imperatrix* decessit, misit eam *Urbanus VIII.* Et idem ille  
Ponti-

Pontifex misit hoc munus *Poëmate à Joanne Bapt. Rogaro* exornatum *Henricheta Borbonia Regina Anglia. Clemens VIII. Ducissa Venetiarum 1597. misit, & Paulus IV. 1557. Conjugi Ducis Albani. Conf. Odor. Raynald. ad hunc ann. Tom. 21. part. 2. n. 18.* Quibus addimus exemplum, cuius jam supra meminimus, *Regina nimirum Siciliae*, cui eam dedit *Urbanus V.* quemadmodum describit *Auctor gestorum Urbani V.* apud *Raynald. Tom. 16. Annal. ad A.C. 1368. n. 10.* his verbis: *præterea eodem mense, Martii scilicet, ad ipsum Romam venerunt Joanna Regina Siciliae & Petrus Rex Cypri, & cum tunc occurreret Dominica: Letare Jerusalem, & quâ consuevit dari per Papam Rosa aurea Viro Nobili tunc in Curia existenti dictam Rosam memorata Joanne tanquam nobiliori, majori, & excellentiori, licet vir non existeret, dedit, Regi prædicto ipsam in hoc præferendo, quæ more solito demum cum Cardinalibus & aliis Nobilibus per urbem equitavit. Conf. du Fresne in Glossar. med. & infim. latin. Tom. 3. tit. Ros. aur. p. 629. Pius IV. A. 1561. misit eam Mariae Reginae Scotiae, quia in reformatione religionis quasi Rosa inter spinas videretur; interpretante Raynaldo ad prædictum annum Tom. 21. Annal. part. 2. n. 76.*

#### §. XIV.

*Civitatibus & Rebus publicis quoque mysticum hoc munus mitti solet. Quemadmodum Gregorius XIII. eam transmisit Reip. Venete. Et Sixtus IV. A. 1478. patriæ suæ Savona, Gregorius XIII. Bononiae, & Pius IV. Lucae. Conf. Raynaud. l. c. ubi simul profiteatur, exempla sua potissimum se debere Andrea Viçtorello. ita & Pium II. Magistratum Senensem Aurea Rosa donasse ex Gobelini l. 2. Malavol. l. 4. §. 3. docet Raynald. Tom. 19. ad A.C. 1459. n. 12. Interdum & certæ alicui Divæ, vel Ecclesiæ Pontifices ad testandum suum affectû munus hoc obtulisse, observat adhuc Raynaudus l. c. Ita Julius III. A. 1552. Basilicæ S. Mariæ Majoris, & Paulus V. A. 1608. Basilicæ Vaticanæ Rosam hanc dederunt. Alteram eidem S. Petri Basilicæ obtulit Urbanus VIII. Ædi sacra S. Mariæ supra Minervam binas dedit Clemens VIII. & c. Et Viris quibusdam primariis hoc munus cesit. E. G. Thadæo Barberino urbis Præfecto ab Urbano VIII. & Raymundo Ursino à Gregorio IX. auream Rosam missam esse ex*

*Sansovini l. 1. Hist. refert Raynaud. l. c. Petro Sabinensi Episcopo Nicolao Tusculanorum Episcopo de Claramonte vulgariter nuncupato & Stephano tituli Basilicæ XII. Apostolorum Rom. Ecclesiæ Cardinalibus ab Urbano III. missam esse auream Rosam testantur illi ipsi in epistola quadam, quam exhibet Ferdinand. Ughellus in Italia Sacra Rom. 1644. edit. Tom. 1. provinc. 1. in Episcopis Tusculan. n. 16. de Nicolao Claram. p. 267.*

§. XV.

Quando hac ratione donum hoc offertur, singulari quoque reverentia solet excipi. Et quidem si *presens* est donatus fixo manui Pontificis, rosam porrigentis, ac pedibus osculo, gratias convenienter agit, domumque regreditur, rosam præferens, solemni cum pompa dum eundem comitantur Patres purpurati mediumque cingunt duo antiquiores Diaconi, copioso ministrorum Pontificiorum stipante comitatu. Conf. *Hospinian. l. c.* Pari ratione & ab *absentibus*, quibus mittitur, insigni veneratione excipitur. Sic meminit *Auctor Annalium Britannie* exceptionis rosæ ab *Henrico IV.* ipsi ab *Eugenio IV.* transmissæ, Regemque non scriptis modo ac gratis impensè actis; sed etiam plurimis donis pignus illud benevolentia Pontificiæ esse remuneratum. Sic & Rosa, quæ *A. 1577.* ad *Venetos* est missa, magno cum urbis populosisimæ applausu dicitur excepta. Quod beneficium *Epico carmine latino* celebravit *Angelus Rocca Tagastensis Episcopus.* Conf. *Raynaud. de Rosa mediana cap. 1. §. 5. quidem ut & §. transmissa p. 410. & seqq.*

§. XVI.

*Finem*, in quem ritus hic superstitiosus peragitur, multis nugis Pontificii solent exponere. cur *Dominica Latare* instituat, aliquantulum supra jam exposuimus. Hic adhuc specialius eundem considerabimus. *Innoc. III. in serm. de Ros.* distinguit inter rationem hujus institutionis *secundum literam & secundum Spiritum* apud *Raynaud. l. c. cap. 3. p. 416.* Ratio *secundum literam* ab *Innocentio III.* hisce innuitur verbis: *Scitis, charissimi, quod corrupti-*  
pti-

ptibile corpus inter anxietates continuas non potest subsistere,  
nisi quandoq; recreationis remedium intercedat, propter quod di-  
citur :

*Interpone tuis interdun. gaudia curis,  
Quod caret alterna requie durable non est.*

Unde veritas in Evangelio inquit : misereor super turbam, quia ec-  
ce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Et si dimi-  
sero eos jejunos, deficient in via. Ne ergo fidelis populus propter a-  
speritatem quadragesimalis abstinenciae sub continuo labore deficeret,  
in hac mediana Dominica quoddam recreationis solatium interpo-  
nitur, ut anxietas temperata levius sufferatur. Hodiernum enim  
officium totum est plenum letitia, totum exultatione refertum, totum  
gaudio cumulatum. Letare (inquit) Hierusalem, & conventum faci-  
te omnes, qui diligitis eum, gaudete cum letitia, qui in tristitia fui-  
stis, ut exultetis & satiemi ab uberibus consolationis vestrae. Ad  
eundem scopum refert Raynaudus l.c. cap. 4. tot. expressionem ca-  
ducitatis humanae & facilis marcoris ac spinositate nostratum qua-  
rumcunque voluptatum, gulæque nominatim, quæ sit pellax fide-  
lium ad reliquum jejunium constanter decurrendum illecebra.  
Præter has plures adhuc alias mysticas Pontificii recensent rationes,  
ob quas consecratio hæc ejusdem instituitur. Hinc spectat relatio  
ad cælestem Hierusalem æternamque gloriam, item quod Rosa au-  
rea in manu Pontificis symbolum sit fasciculi viventium in manu  
Christi, resurrectionis insinuatio, representatio Sanctorum, Rosa my-  
stica dictorum in corporis afflictione per jejunium alacrium, item quod  
Christus per dies quadraginta jejunans, stimulis ad plenum Sa-  
cræ Quadragesimæ jejunium fidelibus sub Rosa Symbolo ostentetur,  
& quæ sunt istiusmodi plura adhuc alia, de quibus scripsit peculia-  
rem libellum Theoph. Raynaud. sub tit. Rosa Mediana à Pontifice  
consecrata & habetur Tom. 10. Opp. in quo præmisso paucis in cap. 1.  
ritu consecrationis, in reliquis seqq. capp. prolixissimè hac de mate-  
ria agit: Jo. Bapt. Casalius de veter. sacr. Christ. rit. l.c. florem hunc  
illum significare addit, qui de se dicit in canticis : Ego flos campi &  
lilium convallium, quia delectat, & ideo speciosus forma præ filiis ho-

minum, recreat olfactu, recreat odore, quia meliora sunt ubera tua  
vino fragrantia unguentis optimis. Et adolescentula currunt in o-  
dorem unguentorum tuorum. Confortat in gustu, quia panis, quem  
ipse dat, caro est pro mundi vita: Omne delectamentum habens &  
omnis saporis suavitatem. Haecenus *Casalius*, qui sua habet ex  
*Gulielm. Durand. rational. divin. offic. l. 6. c. 53. p. 315. a.* ubi & plu-  
res meditationes de hac Rosa invenies. *Fratres Macri in Hiero-  
lex. Tit. Domin. Lat. p. 229. a.* hanc quoque causam dant, posse au-  
teæ Rosæ ceremoniam & allusive ad *Lazari sepulchrum* applicari:  
nam in *Dominica Lazari* hanc ceremoniam fieri, quæ fortassè *Do-  
minica Latere*, non solum propter introitum missæ illius diei; sed  
etiam ob latitiam resurrectionis quatríduanæ Lazari. Circa quæ  
multa haberemus monenda, sed ne falcem in messem Theologi-  
cam mittamus, discussionem eorundem Theologis nostris commit-  
timus, inque nuda duntaxat nugarum harum recensione, quæ simul  
refutatio est, hâc vice acquiescimus. Conf. quæ admodum erudi-  
te hîc notavit partim ex ratione, partim ex *historia Excellentiss. DN.  
RECHENB. l. c. fol. 3. §. 5. seq.*

#### §. XVII.

Ex pari superstitione consecratæ huic Rosæ aureæ mira-  
culosos Pontificii tribuunt effectus & operationes. Sic meminit  
*Raynaudus l. c. p. 612. A. 1577.* ad solatium & præsidium grassante di-  
ra lue *Gregor. XIII.* Pontificem rosam benedictam transmisisse ad  
*Venetos*, & quam primum Rosa ad eos pervenerit, illico consecu-  
tam fuisse pestis depulsionem.

#### §. XVIII.

*Adjunguntur* huic ritui varia lætitiæ specimina. Non  
tantum hunc in finem rosa ubique ostentatur, Pontifex eundo ac  
redeundo à capella in symbolum lætitiæ in manu rosam auream fert,  
*Cardinales* eundem in finem vestibus rosaceis induuntur, vid. *Fratres  
Macros l. c. p. 228. b.* verum etiam præter alia lætitiæ signa, organa,  
quæ ex antiquo ritu per quadragesimam silebant, ea die pulsaban-  
tur,

tur, ut ex ceremoniali novo notat Jo. Baptista Rituus l. 4. de offic. c. 16. & ludos in signum lætitiæ hõc tempore institui refert Raynaudus de Ros. Med. c. 3. p. 423. Spectat hõc etiam illud, quod hãc die Imperatores coronari soliti fuerint. Sic refert Harpsfeldius in Hist. Anglic. sect. 15. c. 4. ex diplomate Eugenii IV. ad Henricum VI. Anglorum Regem apud Raynaudum l. c. c. 1. p. 412. juxta antiqua Romanorum scita non aliõ die, quàm *Dominica Latare* admitti solitos Romanorum Reges ad inaugurationem in *Augustos*, nec nisi post Rosam auream illis ea die a Pontifice traditam, imperii solemniam & diadema capere. Conf. Gulielm. Durand. in Rationali l. c. p. 315. b. addens rationem ob quam, nempe ut *semper coronam superne Hierusalem meditetur*. Adde Spondan. ad A. C. 1444. n. 20. Tom. 1. contin. Baron. p. 910. Sic *Federicum à Nicolao V.* consecratum notat Raynaudus l. c. quamvis in sequentibus ex codice sacrar. Cerem. notet, non alligari semper hanc inaugurationem Regis Romani in *Cæsarem Dominicæ IV. Quadragesimæ*. Quid quod plane non amplius hodiè Imperator Romanus coronam Romæ inscipiat, quamvis si vellet, Papa teneretur ibidem eundem coronare. Remiserunt enim Imperatores nonnulli de jure suo, partim ob ingentes sumtus, qui requirebantur ad comitatum illum, in primis Electorum, qui vocabatur; *Der Römer Zug* partim ob rationes alias politicas.

#### §. XIX.

Consideravimus hæcenus ritum considerationis aureæ rosæ, quæque cum ea connexa, ulterius adhuc disquiri circa eundem solet, unde igitur *originem* suam ducat, quemque primum agnoscat *Auctorem*? Maximum autem hic reperies Historicorum & ipsorum etiam Pontificiorum dissensum. Jo. Casalius de vet. sacrar. Christ. rit. c. 81. p. 336. planè ad Apostolos videtur hunc ritum referre, cum eundem vocat *Apostolicum*. Alii alias recensent origines. Philipp. Plessæus Mornæus in myster. iniquit. p. 474. ritus hujus autorem primum facit *Urbanum V.* quem ait, eo primum munere donasse foeminam propudiosam & horrendis criminibus infamem, nempe *Johannam Sicilia Reginam*, quæ virum necarat, indeq; successores singulos recurrente *Quadragesima* Principem aliquem  
ejus

ejus dono devincire solere. *B. Micraelius in Syntagm. Hist. Eccles. l. 2. sect. 2. n. 18. p. 254. Urbano IV. hunc ritum adscripsisse videtur.* Sed notat hos merito VIR Excellentiss: DN. RECHENB. l. c. fol. 2. §. 5. cum jam *Innocentius III. Papa sermones de aurea Rosa* habuerit & *Alexander III. Papa Rosam consecrasse* dicatur. Conf. & *Hospinian. de Festis Christian. p. 67. a. Josephus Bona fides in inscriptione op. de rebus S. Nicolai M. ad Ducissam Gravinae ex familia Ursina* scribit, *S. Leonem IX. A. 1051. domito ope Ludovici Ursini Romano quodam Pontifice turbas ciente, ut gratiam erga Ludovicum Gentemq; Ursinam testaretur Rosam insigne gentis illius tesserarium benedixisse & speciali diplomate emisso, constituisse, ut quotannis in paschate, quod Rosatum appellant, hoc est, in Pentecoste Rosa Gentis Ursinae insigne tesserarium benediceretur, ad perpetuum, ejusdem stirpis ornamentum & capiti illius illustrissimi nominis traderetur, perenne monumentum gestorum Ludovici Ursini pro Ecclesia, cui etiam omnium primo Rosa benedicta à S. Leone sit collata, quamvis postea Pontifices sacrum Rosæ munus (à Leonis institutis deflectentes) ad alios magnates ac Reges delatum voluerunt,* cujus narrationis fidejussorem *Josephus Bona Fides præfert Franciscum Sansovinum in Gentis Ursinae Histor. l. 1. quamvis non bonâ fide, quin potius memoria eum lapsum notet Theoph. Raynaudus in Tr. de Ros. Med. c. 1. §. satis. p. 412. b. cum ibi nihil de S. Leone IX. nihil de Ludovico Ursino, nihil de diploma. e Pontificis legatur, seu Rosam benedictam conferentis, seu jubentis, ut deinceps quotannis benediceretur, seu in Pentecoste, seu alio tempore. Et præterea solemnitatem hanc jam ante Leonis IX. tempora in usu fuisse notant Fratres Macri in Hierolex. tit. Donin. J. etar. p. 229. a. notantes adhuc ex Cencio Camerario, dicent, quod hic Pontifex pensionem annuam pro expensa hujus Rosæ super redditus Monasterii S. Crucis Lotaringie imposuerat. Alii Alexandrum III. primum Auctorem ritus hujus facere voluerunt, cum tamen manifeste iste agnoscat, non abs se primum inductum esse, verba ejus in epistola ad Regem Francorum, quam Johannes Piccardus in notis ad Neubrigensem anglicanarum rerum Scriptorem repræsentavit, ap. Raynaud. l. c. hæc sunt:*  
*A Romanorum Pontificum institutione noscitur processisse, quod media*  
qua-



*quadragesima ea Dominica qua cantatur: Latere Hierusalem, con-*  
*sueverunt ipsi florem aureum non gratia temporalis elationis propriis*  
*manibus, annua semper revolutione gestare: Ea utiq; in facto hu-*  
*jusmodi designantes, quæ tam ad decorem Ecclesie, quàm ad fide-*  
*lium noscitur instructionem spectare. Unde & cum nos eorundem*  
*antecessorum nostrorum vestigia subsequentes, similem florem eò die,*  
*in quo constitutum est, nuper in manibus gestaremus. Quæ si ita*  
*sint, multò minus valebit, quod habet Cesar ab Eugenio in Neapoli*  
*sacra p. 29. cum scripsit Innocentium IV. fuisse primum, qui rosam*  
*auream consecravit. Conf. Raynaud. l. c. Jo. Hieron. Imhoff in sin-*  
*gul. Polit. part. 2. Rat. stat. 31. p. 92. putat, incunabula sua hunc*  
*ritum debere Innocentio; sed non addit cujus numeri Papam sic di-*  
*ctum intelligat. Alii alios produxere inventores. Res tamen*  
*est incerta. Hinc nec ipse Raynaudus alicui certæ sententiæ cal-*  
*culum suum adscribere voluit, sed tamen notat, quod non videatur*  
*hic ritus jam inductus fuisse tempore Caroli M. cum tam*  
*multi scriptores; qui Caroli res gestas & Pontificum cum*  
*eo negotia literis commiserunt, nusquam meminerint hujus*  
*sacri muneris Carolo delati, nec qui de divinis officiis eò tempore*  
*tractaverunt, agentes de Dominica quarta Quadragesimæ alicujus*  
*peculiaris ei Dominicæ ritus mentionem ullam fecerint. Inde q; in-*  
*definite colligit, infra capedinem illam annorum, quæ ab A. 814. quo*  
*Carolus è vivis accessit, & A. 1050. quo Leo IX. initiationis Rosæ me-*  
*minit, Pontificum quempiam sacrum illum ritum in Ecclesiam in-*  
*duxisse. Neque igitur & nos hic certi quid determinare volumus,*  
*id pro certo tamen ponentes, Pontificem R. seu Pontificium quen-*  
*dam ritus ejusdem fuisse Auctorem; quinam autem in specie fuerit,*  
*hactenus nobis non innotuit.*

§. XX.

More *Philosophorum* hinc addere quædam nobis liceat de  
*cognatis hujus ritus. Quæ hinc vice distinguimus vel ratione tem-*  
*poris, vel significationis, vel solemnitatis. Ratione temporis notat*  
*Raynaudus de Rosa Median. c. 11. p. 499. ex Georg. Codino Curo pa-*  
*lat. de officiis & officialibus curiæ & Ecclesie CPtane, ex usu fuisse*  
*Grecis, Media Quadragesima, vivificam crucem (illam ipsam ad-*

E

dens

dens, in qua Christus pependit) è palatii Ecclesia educere & per Archidiaconum populo adorandam proponere per quadriduum: nempe *Dominica feria secunda, quarta & sexta*. Locum in Codino non addit *Raynaudus*, erit autem procul omni dubio ille, qui extat, *c. 9. p. 96. seqq.* (editionis ex Corpore Byzantino Reg. qua Paris. A. 1648. opera Jacobi Goar prodiit) verba Codini ibidem hæc sunt: Κυριακή τῆς σωροπροσκυνήσεως τῆς παραστάσεως ἱσταμένης κατὰ τὴν σύνηθειαν τῶν προσηρημένων ἐορῶν. Περὶ τοῦ τῆς φέρει τὸν σωρὸν ἀπὸ τῆς ἑκκλησίας μετὰ τῶν ψαλλῶν ὁ Ἀρχιδιάκονος, φορῶν μὲν τὸ σύνθημα αὐτῶν σιχάριον, φορῶν δὲ ἐπὶ αὐτῶν καὶ φελώνην οὐ μὴν καὶ ἐπιτραχήλιον, ἀλλ' ὠραριον τὸ Σῶσον κύριε τὸν λαόν σου καὶ εὐλόγησον τὴν κληρονομίαν σου, ψαλλόντων. Καὶ ὁ βασιλεὺς προσυπαντᾷ εἰς τὴν παραστάσεως ἱσταμένης, εἰς τὴν τῆς θύρας εἰσοδὸν καὶ τῶν σωρῶν ἐπὶ τῶν ἀναλογίαις τεθέντος ἀσπάζεται τῶν ὁ βασιλεὺς. ἔπειτα ὑπερέχει καὶ ἱσταται πάλιν εἰς τὸν θρόνον αὐτοῦ. μετὰ δὲ τὴν ἀπόλυσιν ἀπέρχεται. καὶ προσκυνεῖ αὐτοῦ καὶ ἀσπάζεται τὸν σωρὸν καὶ εὐθέως αἰρῶσι τῶν βασιλέως προπέμποντες μετὰ καὶ τῆς τῶν τρικλιῶν θύρας καὶ πλέον ἔθεν: i. e. *Dominica, qua adorationi Sanctæ Crucis deputata est, consistente jam circumstatione pro consuetudine supra dictorum festorum.* Circa finem adfert Archidiaconus cum cantoribus ex Palatii Ecclesia crucem, gestans solemne sibi Sticharium, ferens etiam super ipso Phelonem non tamen epitachelium, sed orarium: canuntque illud: *salvum fac Domine populum tuum & benedic hereditati tue.* Et Imperator sic circumstante comitatu aulico, obviam it usque ad januam, crucemque in pulpito positam osculatur, quo peracto revestitur & stat in throno suo. Post missionem venit Imperator, iterumque crucem adorat & osculatur, quam statim tollunt, comitante eam Imperatore usque ad Triclinii januam & non ulterius. Factum id esse *Media Quadragesima*, quamvis *Dominica Mediana* apud Orientales fuerit *tertia Quadragesime*, non quarta, quemadmodum apud Occidentales

tales, probat Raynaudus prolixè l.c. & consensionem inter utrum-  
 que ritum ex *Rituàli libro Græcorum*, cui *Triodio* nomen, aliisque  
 instituit. Sicque una superstitio cum altera non incommodè com-  
 paratur, quamvis non sine insigni absurditate Raynaud. in fine cap.  
 cit. p. 501. comparationem hanc ita claudat: *manifestum est ex di-*  
*ctis, ritum græcanicum monstranda mediâ Quadragesimâ S. Crucis*  
*eundem habere scopum propositum cum ritu latino de Rosa initia-*  
*ta eodem tempore ostentanda fidelibus.* Sicq; duo Seraphim alte-  
 rum ad alterum clamare, excitando & urgendo fideles ad obsequi-  
 um jejunii plenum DEO pendendum, ne fracti fatigatione jejuniij  
 antecedentes cadant animis. Ratione significationis referunt huc  
*Fratres Macri in Hierolex. l. c. p. 229. a.* ut cognatum aliquod morem  
 illum antiquorum Christianorum, quo *rosam in sepulchris formare*  
 solebant in Symbolum transitoria vitæ, ad verba *Job.* alludentes  
*c. 14. Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis*  
*miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur.* Quo etiam adhuc  
*Fratres Macri* trahunt illud Gentilium, qui in testamentis jubebant  
 ad sua sepulchra *spargere rosas.*

§. XXI.

Ratione solemnitatis maximam convenientiam hic ritus  
 habet cum illo, quo Pontifex R. in nocte nativitatís Dominicæ ensem  
 & pileum magna cum solemnitate solet consecrare. Ensis obdu-  
 ctus est vagina, quæ & gemmis interdum est ornata. Pileo intexta  
 est columba & Sol. Hæc duo mystica Symbola in matutino Nativi-  
 tatis Domini Pontifex inítiat, itidemque æque ut Rosam certo cui-  
 dam Principi dono dare solet. Quemadmodum meminit Pius in  
 suis *Commentariis l. 5.* se illum misisse *Philippo Duci Burgundiæ*,  
 quem attulit *Roxetanus* Pontificis aulicus, ac etiam idem Pius simi-  
 lem ensem vagina inclusum ornata gemmis & auro *Ludovico*  
*Francia Regi* transmisit hos versus inscriptos habentem :

*Exerat in Turcas tua me Ludovice furentes*

*Dextera: Grajorum sanguinis ultor ero.*

*Corruet imperium Maumetis & inclita rursus*

*Gallorum virtus, te petet astra duce.*

Conf. *Raynald. in Annal. Tom. 19. ad A. C. 1461. n. 115.* Dux si præ-  
sens est, debet canere quintam lectionem superpelliceo indutus, su-  
per quod cingit gladium & super induitur pluviali albo, cujus a-  
peritio seu scissura est à latere dextero & caput pileo tectum habet,  
quod tamen detegit & adstanti ministro consignat, dum lectionem  
canit: Sed antequam incipiat & solitam benedictionem po-  
stulet, gladium evaginat, quater percutit terram, terque vibrat in  
aerem & super sinistro brachio illo deterfo in vaginam reponit at-  
que finita lectione præfatis paramentis exuitur: Sed si contigit,  
eandem ceremoniam *Cæsari* fieri, tunc iisdem paramentis indutus  
est; sed pluviale more solitò ac rectè ante pectus gerit, pileoque  
non tegitur, cum sit ducale insigne, illum tamen in manu ejus scuti-  
feri ferunt. Itaque sic indutus Imperator incedit ad canendam le-  
ctionem duobus Cardinalibus Diaconibus associatus & facit ante  
lectionem supra dictam ceremoniam evaginandi gladium, sicque  
in praxi observatum fuisse tempore *Pauli II.* Papæ cum *Impera-  
tore Federico III. de A. 1468.* notant *Fratres Macri in Hierolex. tit.  
Lectio. p. 349. a.* Mittuntur autem hæc dona Principi, ut, dum Chri-  
stus Dei unigenitus nascitur in terris ad expugnandum tartarum,  
accingant se eodem tempore principes terræ ad debellandos hostes  
Christi viventes & hoc virtute etiam Pontificiæ potestatis, cujus  
Symbolum est ille gladius. Plura de hoc ritu invenies apud *Theoph.  
Raynaud.* qui peculiarem de eodem scripsit librum & continetur,  
*Tom. 10. Opp.* ejusdem, ubi simul more suo omnes mysticas signifi-  
cationes prolixè collegit. Conf. *Fratres Macros l. c. Jo. Casalium,  
de vet. Sac. Christ. ritib. c. 81. p. 337.* Ratione Solemnitatis compa-  
rari ei quoque solet ritus ille consecrandi *agni cerei*, quem olim  
quidem *Archidiaconus* quidem initiavit secundum *ordines Roma-  
nos*, hodie autem ipse *Pontifex* consecrat, & quidem in recordati-  
onem *Baptismi, Dominica in Albis h. e. octavis Pasche.* *Forma*  
consecrata est *effigies agni cerea*, quæ ex cera, aqua, oleo & balsa-  
mo seu chrismate consecratis funditur & distribuitur, in eo tamen  
à ritu nostro differt, quod non amplius, ut olim *quotannis* peraga-  
tur; sed *primo* duntaxat *anno* initæ Pontificiæ sedis & deinceps  
quolibet tantum *septennio.* Itidem de hoc ritu peculiarem scripsit  
tra-

tractatum Theoph. Raynaudus de Agno cereo à Pontifice consecrato  
& habetur etiam Tom. 10. opp. Pari quoque ratione Magnatibus  
mitti solet. Sic Innocent. VIII. icunculas cereas cœlestis agni ty-  
po impressas ad Ducem Britannia misit teste, Raynaldo Tom. 19  
Annal. ad A. C. 1486. n. 49. virtutes hujus agni Dei in versibus his re-  
feruntur, quos una cum tribus similibus numismatibus Græcorum  
Imperatori dono misit Urbanus V. juxta Fratres Macros in Hierolex.  
tit. Agnus DEI p. 19. a.

Balsamus & munda cera cum Chrismatis unda  
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum.  
Fonte velut natum per mystica Sanctificatum  
Fulgura de sursum depellit, & omne malignum  
Peccatum frangit, ut Christi sanguis & angit,  
Pregnans servatur simul & partus liberatur.  
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.  
Portatus munde, de fluctibus eripit unda.

Jesuwall Picthart im Bienen-Korb des H. Röm. Imenschwarms  
part. 4. c. 1. p. 173. a. versus hosce ita germanice exhibet:

Eyn grose Gab ich dir hie send/  
Die ist das Lämblin Gottes genennt/  
Ist von Jungfraw Wachs / Balsam / Del/  
Von Chrisam reyn bereyt on Fäl /  
Reyn wie ein Quell : und ist besegnet  
Mit sonderm Worten / daß / wanns regnet/  
Und wittert sehr / es solchs verjag/  
Und gar abtreib all Teuffels Plag:  
Auch prech die Sünd wie Christi Blut/  
Und schwangre Frauen halt in hut.  
Bring auch die Leibs Frucht von in leichtlich/  
Und sonst begab die Würdige reichlich.  
Desgleichen nimpts sein Krafft dem Feur.  
Und rett aus Wassern Ungeheur/  
Wann man es reynlich trägt bey sich  
Und solchs verehret würdiglich.

Istam ceremoniam *Fratres Macri l. c.* ita describunt: hodie Papa solet hæc numismata cerea (agnum sc. representantia) primo anno sui pontificatus benedicere, deinde in quolibet septennio ad octavam Paschæ. Rev. tamen Sacrista auxilio Clericorum & Religiosorum ea ante annum præparat, ac Pontifex in feria tertia Paschæ indutus amictu albo, cingulo; stola & mitra aquam benedicit, infundens balsamum & Chrisma, dicitque aliquas preces in Ceremoniali præscriptas, deinde linteo præcinctus Cardinalibus similiter assistentibus, immergit illa in aqua benedicta, ac extracta extenduntur supra munda mantilia, ut exsiccentur, ibique Papa ea denuo benedicit. Postea in capsis reponuntur & conservantur usque ad Sabbatum in Albis, quò die dicto in missa Agnus DEI & peracta communionem tunc Sub-Diaconus accedit ad ferendum pollubrum his numismatibus refertum, præcedente cruce, & ad portam Sacelli Pontificii perveniens verba quædam cantat, quæ replicat in medio Sacelli, & tertio tandem ante solium Pontificium, quæ postmodum Papa Cardinalibus primo distribuit, qui intra eorum mitras ea recipiant, & successive donantur Episcopis aliisque Prælatibus. Quo de ritu admodum facete more suo differentem vide *Auctorem des Bienen-Korbs l. c.* Ut Solemnitates alias Pontificias hac vice taceamus.

§. XXII.

Jam etiam iudicium nostrum de Papali hac solemnitate & superstitione adjiciendum esset. Quoniam vero hoc ad cathedram potius Theologicam spectat, nolumus ultra id, quod licitum nobis est, sapere, quin potius in hæcenus historicè recensitis subsistimus, ablegantem Lectorem ad *Libros nostros Symbol. &* quidem ad *Artic. Smalcald. part. 3. art. 15. p. 337.* ubi quid de istiusmodi consecrationibus sentiendum, breviter, solide tamen docetur. Ceterum DEO debitas agimus gratias, quod è tenebris Papatus nos eduxerit in veram puramque Evangelii lucem, quam porro nobis fartam tectamque usque ad finem seculi servare velit. Sit & ipsi gloria pro concessa nobis hæcenus gratia, ipsi porro nos, nostraque studia commendamus.

ברוך יהוה לעולם אמן ואמן :

AD-

## ADDITAMENTA.

- I. Theologia & Philosophia Moralis differunt.
  - II. Hæretici capitali supplicio non sunt affiendi.
  - III. Ad Religionem nemo est cogendus.
  - IV. Rosam in hyeme verum Ens esse universaliter non repugnat.
- 

## AD RESPONDENTEM.

**A**urea Pontificis describis dona rosarum,  
Auratas spirat pagina docta rosas.

Auditori suo longè solertissimo egregium eru-  
ditionis specimen ex animo gratulatus  
scripsit.

L. JOHANNES SCHMIDIUS, P.P.

---

**E** hat bissher mein Freund sich sehr umb Kunst bemühet/  
Und die Collegia mit grossen Fleiß besucht;  
Was Wunder daß man Ihn auff der Catheder siehet/  
Da Er vor Augen legt des edlen Fleißes Frucht.  
Sein Thun ist rühmens werth/ denn wem Gott was gegeben  
Durch ordentlichen Fleiß/ so andern nützlich ist/  
Der muß nicht nur vor sich als ein Gelehrter leben/  
Es heist man zeige sich daß Weißheit von ihm fließt.  
Absonderlich wird ja der Freunde Herz ergötzet/  
Und der gehoffte Trost schon würcklich eingefloßt;  
Sie sehen wie Er sich nur mit der Weißheit lezet/  
Und Sie ins künfftige auff größre Lust vertröst.

Fährt

9.11.1  
1644

Fährt Er nun rühmlich fort und traut des Höchsten Segen/  
Der alle Müh und Fleiß gewiß belohnen will/  
So wird Patronen Gunst sich häufig auff Ihn legen/  
Dadurch Er kommen soll zu dem gesetzten Ziel.

Mit diesen eifertigen Zeilen wolte seinem werthgeschätzten  
Freunde und fleißigen Auditori, als Er eine öffentliche  
Probe seiner Gelehrsamkeit ablegete/willigst gratuliren


M. JOHANN Günther / Diaconus  
zu S. Nicolai und Collegiat bey dem Frauen-  
Collegio.

**D**um rosa grata cadit mihi, dum mea filia dulcis  
Heu! moritur subito, nobis quæ sparsit odorem.  
Et viva & moriens verè gratum atque suavem  
Ac desiderio affecit matremque patremque,  
Audio, quod Rosa sit, Juvenis, Tibi, sedule, lecta,  
Cujus odore pius quondam Fridericus, amator  
Doctrina sane ac Confessor, maximus heros  
Non retinebatur spernens hæc munera Papæ.  
Cur verò rosa jam legitur Tibi talis, Amice,  
Quæ redolet factorem injucundumq; gravemq;?  
Ut Rosa non oleat bene Pontificis, sed odorem  
Ingratum reddat nobis: Industria gnava,  
Aurea quæ Rosa picta Tibi, quæ sistitur illa,  
Fragrantem disperget odorem candidi Amici.

DN. Respondenti Auditori olim Suo, jam Amico perquam  
dilecto de secundo Academico Specimine gratulaturus  
Cotbusio mittebat

M. MARTINUS Busse / Sch. Rector.

NB. In Sect. pr. §. 7. lin. 16. pro. A. 1673. leg. 1073. lin. 46. deleatur  
vox: quia, & inseratur sequenti lineæ: participii partis, quia  
partem &c.





R.K. 419, 12.

SCHE  
RO  
A PAP  
SOI

Benevole  
IN IL

M. ZAC  
Rho

FRIDE

*Ad die*  
P

CUM

EA  
NNIS  
N.

ensu  
SI

IUS,

IS,

II i  
1644

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE

es

8

